


G.Y.F.C.

Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.



224





[Faint, illegible handwritten text, possibly bleed-through from the reverse side of the page.]



In solo DOMINI verbo sapientia vera.
In solo CHRISTI merito fiducia vera.
In solo CORDE vita est et patria vera.

Genitorum Magnifico atque
maximè strenuo Viri
Dn. WOLFGANGO CONRADO
à Ehrenbire,
Hereditario in Honib et Nobilit,
Domini Ill^m Saxoniæ Ducis,
Lincolⁿ Altonbury.
Ancillariorum gravissimè Consiliariorum
intimo meritissimè
Peditum Provincialium Pibitorum
eminentissimè
Patrono ac Studiosorum suorum
Promotori maxime,
Papam Colendo
Theosæ baseo Theologicae ad eorum
omnia sua studia indulgentissimè
Infirmitate generosa Magnit.
aeternum devotè
H. Ernestus Gerbardus D. & Prof. P.
Gonæ.

מִדְּוָה וּלְיִהוּה עֵצַת דַּעְתָּהּ:

מֵרֵיבֵי עֵצַת דַּעְתָּהּ

sive de

FESTIS

ORIENTALIUM,

Ebræorum cum primis,
EXERCITATIO PRIMA,

in inclusâ Academia Leucorea
Publicè ad disputandum proposita

M. JOH. ERNESTO GERHARDO
Jenensi, Coll. Phil. Adj.

RESPONDENTE
GOTTFRIEDO KÖCHLERO,
Salfeldensi.

Habebitur in Auditorio
Philosophorum

d. Januarii

Horis matutinis

WITTEBERGÆ

Typis JOHANNIS RÖHNERI, Acad. Typogr.

ANNO 1715 c. L.

Handwritten text at the top of the page, appearing as bleed-through from the reverse side.

Handwritten title or section header, possibly starting with a large initial letter.

Main body of handwritten text in a historical script, likely Gothic or similar, covering the upper and middle portions of the page.

Handwritten section header, possibly a chapter or section title.

Continuation of handwritten text, appearing as bleed-through from the reverse side, located in the lower middle section.

Vertical handwritten text on the left margin, possibly a reference or note.

Handwritten section header at the bottom of the page.

Final lines of handwritten text at the bottom of the page, appearing as bleed-through from the reverse side.





7. 7.

GRavisima est *R. Eliezer Hammodai* sententia, quâ ita in Festorum solennium inturgit Contemptores: *המבזה את המועדות אף על פי שיש בידו הורה ומעשים טובים אין* *h. e. qui despicit festa solennia, tamen si in manu ejus lex sit ac bona opera: non tamen partem habebit in seculo futuro.* Tanti hæc prædicti Doctoris Judaici (magni alias nomen inter suos adepti, ac vetustate, quippe qui paullo post Templum secundum vixit, nobilis) æstimatur admonitio ab Apellis, ut in pretio non sit minori, quàm si in ipsâ S. Scripturâ eadem inveniretur. Neq; enim quemquam Judaicarum rerum vel leviter gnarum fugere potest, quid de integro Opere Talmudhico (cui etiam gnoma hæc *Seder Nesikin Masfeth Avoth* inserta est) iidem sentiant, ac videri prolixè præter alios hæc de re potest litterarum Ebraicarum sidus, ac Germaniæ nostræ decus immortale, *Job. Buxtorfius* Recens. Oper. Talm. p. 222. & seqq. Nos licet Magistri laudati auctoritate moveamur neutiquam, magni tamen adductam ejus sententiam, si rectè intelligatur pœnitentiâq; (de quâ egregia eorundem sententia quoq; est *אין לך דבר: אין לך דבר: ששומר בפני בער השומר*; quâ innuunt, nullum peccatum tam esse grave, quod non aboleat pœnitentia) secludatur, facimus, quoniam DEUS ipse septimum diem præcæteris observari, inq; eo feriari ab operibus manuum, atque adeo quiescere (inde & *השבת* *dies quietis* dictus, non solum, quia ipse DEUS *בו שבת* *quievit in eo* Genes. 2, 3. sed quia etiam suo populo præceptum dedit tale: *זכור: h. e. לך קדשו: השבת את יום השבת* *memento diei Sabbathi, ad sancti.*

*Conferantur
similia apud
Buxt. Lex.
Talm. p. 2338.*

A 2



sanctificandum eum &c. emphaticè h. l. Jonathan: זכור עמי
בית ישראל הוון דכירין יומא דשבתא למקדש
(יהיה) voluit omnes ad populum suum quocunq; modo spe-
ctantes. *Die septimo Sabbathum Domino Deo tuo*, inquit Maje-
stas divina. *Non facies omne opus tu, & filius tuus, & filia tua,*
servus tuus, & ancilla tua, & animal tuum, & peregrinus tuus, qui
in portis tuis. Exod. XX, 10. Jonathan omittit; & *animal tuum*,
ac postremum, qui in portis tuis, vertit בקרייתין qui in
civitatibus vestris. Neq; tamen diem septimum saltem fe-
riatum divinum Numen voluit, sed alia etiam tempora quæ-
dam, ad beneficiorum videl. populo suo exhibitorum me-
moriam diligentius servandam. Instituit hinc Pascha, fe-
stum septimanarum, itemq; tabernaculorum aliaq; de qui-
bus sicuti & de die Sabbathi ea, quæ partim jamtum antehac
in chartam à nobis conjecta fuere, ex variis auctoribus col-
lecta, partim quæ tenuis nostra Bibliotheca hîc suppedita-
vit, exercitii Disputatorii gratiâ publicè ventilanda propo-
nere deinceps, animum induximus. Moti præter alia tem-
poris etiam hujus circumstantiâ. Instant enim solemnitates
Natalitiorum Domini nostri Jesu Christi, instat festum Epi-
phanîæ, instant & alia in Ecclesia feriæ, cogitationes quæ re-
quirunt pias. Has quò eo meliùs, in nobis saltim, si non in
aliis excitemus, tantoq; ferventiùs cultui invigilemus divi-
no, placuit talia revolvere. Nec potuit fermè melior ex philo-
logia sacrâ eligi materia. Quando enim perspicimus, quâ
devotione, quâ cura, quâ attentione, quo gaudio etiam atq;
lætitia non solùm DEI populus in V. T. festa sua celebravit,
illiusq; posteritas, vini quidem optimi acetum pessimum,
etiamnum observet, quâ item diligentia ac devotione adhuc
hodie non solùm Christiani Syri atq; *Æthiopes*, populi lon-
gissimè à nobis disiti, sed & ipsi quoq; Mohammædani aliiq;
populi Orientales minimè licet Christiani, festos suos dies
peragere soleant, fieri sanè vix poterit, quin & ipsi æmula-
tionis accendamus stimulo, & quidem tanto magis, quanto
majora Salvatoris nostri & illustriora in nos præ gentilibus
collata

collata beneficia sunt, festis hisce diebus ruminanda piisq;
 precibus celebranda. tum etiam, quia Judæi umbram sal-
 tem futurorum habuerunt, quippe quibus per temporalia
 ista beneficia, spiritualis æternaq; per Messiam acquirenda,
 typicè representata felicitas fuit. Nos verò corpus ha-
 bemus ipsum, Christum videlicet Jesum, nobis jam natum,
 pro nobis in mortem traditum, nostri etiam causâ resuscita-
 tum. Huic offeramus gratæ mentis holocausta, huic ac-
 cendamus thymiama devotæ orationis ac sanctæ inculpa-
 tæq; vitæ, in hujus lætemur merito fide verâ, hoc gaudium
 nostrum, hæc sacrificia, hæc incensa DEO nostro grata
 erunt.

CAP. I.

*Sabbatum unde dictum? An Exod. 20, 8. demum institutum?
 an Gen. 2. per anticipationem Sabbathi fiat mentio? Discessus
 sit à ~~Cajetano, Estro, Tostato~~ Abulensi, Bonfrerio. Sab-
 bathi observati apud Gentiles rudera adhuc quedam reliqua.
 Sabbathi morale, quomodo spiritualiter Sabbathum celebre-
 tur? quo die apud Judæos Sabbathum colatur? quando inci-
 piat? Vespera Sabbathi. Inter duo vespera quid? Dies apud
 Judæos quando incipiat? Sabbatho non tribuuntur duo dies.
 Septimum diem quare sanctificavit Deus? Additamen-
 tum Sabbathi quid apud Judæos? unde ortum? Drusii ac
 Fagii de illo sententiæ recensentur: ערב variè in Sc. S. acci-
 pitur. An festos saltim dies auspiciati fuerint Judæi à vespera
 diei precedentis? Bonfrerius refellitur.*

DE Festis verò diebus dum considerationem instituere pa-
 ramus, meritò à Sabbatho h. e. illo die, quem הקבה post
 perfectum terræ coeliq; opus festum esse voluit atq; sanctum,
 auspicamur. Cessit verò huic non immeritò nomen à quie-
 te s. cessatione, quippe quâ DEUS cessavit à novarum specie-
 rum creatione. Insinuat hoc ipsum clarissimè mundi na-
 scentis Historicus Moses, quando ita scribit: & perfecit

A 3.

Deus

Deus in die septimo opus suum, quod fecerat, וַיָּשָׁב וְרָחַץ רֵגְלָיו וְרָחַץ רֵגְלָיו & requievit
in die septimo ab omni opere suo, quod fecerat. Et benedixit Deus
diei septimo, & sanctificavit illum: quia in eo וַיָּשָׁב רָחַץ רֵגְלָיו requieverat
ab omni opere suo, quod creaverat Deus, ut faceret: Inde rectè
Theophyl in cap. 6. Matth. ἀνάπαυσις τὸ σάββατον. Hæc
Sabbathi sanctificandi primordia sunt, hi natales primi. Nec
obstat, quòd Exod. 20, 8. in promulgatione demum Legis
præceptum de sanctificando die septimo traditum videatur.
Facta enim ibi repetitio saltim est præcepti primis nostris pa-
rentibus dati, ut inde necessarium haut sit cum Cajetano, Estio,
Bonfrerio, Tostato Abulensi, Ben. Pererio in Genes. nec non Fr.
Suarez. libr. 2. de diebus festis, è Calvinianis Fr. Gomaro Inve-
stig. sent. & origin. Sabbathi alisq; statuere, quasi sanctificatio
Sabbathi per quandam anticipationem Gen. 11. à Mose fuerit præ-
missa, ut referantur ita ista Gen. 2. non ad tempus illud, quo mundus
fuit conditus, sed ad tempus, quo ista Judæis scripsit, quo tempore lex
Sabbathi lata fuit. ceu expressè habet Bonfrerius, qui tamen
subjicit: si quis tamen sine lege à Deo lata, per Dei tamen inspira-
tionem velit etiam initio post exilium à paradiso in commemoratio-
nem illius divinæ cessationis ab opere servatum fuisse Sabbathum,
quod postea jam consuetudine antiquatum Deus lege firmaverit, non
admodum repugnabo: sed tamen fatendum est, ejus rei vestigium
nullum in Scriptura extare, quod tamen non videtur omnittendum à
Mose, ut Judæis hujus diei religionem persuaderet, si ita sese res
habuisset. Hæc Bonfrerius, qui idem etiam evincere conatur ex
Joh. 7, 22. & seqq. nec non Gentilium ignorance. Verùm
quid ad dubia ista respondendum sit ac responderi etiam
queat, pagellarum harum angustiam excedit. Quare ad
ipsum reservatum hoc volumus discursum publicum. Nec
obstat etiam nostræ sententiæ, quòd homo in statu innocen-
tiæ singulis diebus rebus divinis vacasset, nisi fuisset lapsus,
nihil enim impedit, quòd minus & peculiaris insuper dies cultui divi-
no fuerit destinatus, ut ex Theologorum foro hoc mihi largia-
tur B. Parens meus Comm. in Gen. Cæterùm qui plura hæc
de re cognoscere desiderat, adeat illustre Saxonie nostræ de-
cus

cus Dn. D. *Hülsemannum* Brev. Theol. Ext. p. 165. Dn. D. *Job. Tob. Majorem*, Patronum & Affinem meum pl. colendum disp. pecul. de Sabbatho, nec non ejusdem Disp. ultimam in Coll. Anti-Wendel. it. Dn. D. *König* Disput. Sing. de eadem materiâ anno 1641. habitâ; è Calvinianis *Anton. Waleum* Disfert. de Sabb. c. 7. *Rivetum* expl. Decal. è Pontificiis Hieronymum Pradum è Soc. Jesu, expl. in Ezech. c. 20. p. 248. Nobis impresentiarum sufficit, Sabbathi originem ab ipsis qs. mundi incunabulis arcessivisse: notandumq; cum primis hoc loco est, quod Philo lib. 2. de vitâ Mosis tradit, *Sabbathi religionem à plerisq; gentibus fuisse observatam*, quod etiam facit forsân *Eusebii* observatio, quando lib. 13. de prepar. Evangel. cap. 7. *Hesiodi*, *Homeri* ac *Lini* mentionem facit, quod septimum diem tanquam sacrum suis celebrarint carminibus. plura testimonia videre licet apud *Casaub.* ad Sueton. p. 382. *Rivetum* in Decal. expl. Id ipsum licet nonnulli exinde factum credant, quia Judæorum consuetudo illos non latuit, haut vanè tamen forsân & iste putaverit, qui à majoribus hujusmodi talia posteris tradita crediderit. Neq; tamen exinde colligere licet, quod sic Judæis Sabbathum non signum fuisset, per quod à reliquis gentibus discernentur, Exod. 31, 17. Ezech. 20, 12. ut ut enim similiter gentilibus septimi diei observatio ab initio creationis commendata esset Dei exemplo, attamen non minus hoc, quàm cætera, quæ ad verum Numinis cultum spectant, ita *successu temporis obliterata apud eos cernimus, ut pauca saltim vestigia remanserint, eaq; multis corruptelis deformata.* in quam rem plura observavit novum Philologiæ sacræ lumen Dn. *Daniel Fesselius*, Dn. ac Patronus meus pl. colendus, *Advers. Sacr.* lib. V. c. 7. §. 7. p. 453. Dispiciat curiosus harum rerum indagator, num referenda huc etiam illa sint, quæ contra Julianum accuratè disputat Alexandrinus Episcopus *Cyrillus* lib. VI. contra dict. Jul. edit. Bas. Tom. 3. p. 142. Post promulgatam in monte Sinai legem solemnem de septimo die sanctificandò cultuiq; divino consecrando tam ardens populi Dei studium semper fuisse, passim in Sacris litterisprehendimus, quin adhuc apud *Apellas* cernimus, ut meritò in pudorem

dorem conjiciamur, quando summam nostram circa Numi-
nis Divini cultum, die isto peculiariter publicèque demon-
strandum, negligentiam cum præpostero fermè hodiernorum
Judæorum conferimus studio. Inficias equidem haut facile
ire aliquis poterit, multa sequioribus temporibus à Judæis
fuisse introducta partim supervacanea, vanaq; partim & ri-
dícula quoad Sabbathi cultum decenter illorum sententiã
instituendum, absit tamen, ut exinde ea omnia, quæ salubri-
ter olim circa Sabbathi solemnitate fuerunt observata, repre-
hendere velimus, vel stoliditatis accusare. Nostri potius
muneris est, morale retinere, atq; ita Sabbathum celebrare,
quò in corde nostro flagret lux veræ fidei, quiescant affectus
nostri ab omnibus inordinatis desideriis ac carnis operibus,
ac solido nos amore salutis nostræ reparatori Jesu Chri-
sto unã cum Patre ac Sp. S. adhæreamus. Ast non est hujus
loci hujusmodi talia pertractare, quia animum potius indu-
ximus, varios variorum, Orientalium nempe ac inter hos
Judæorum præcipuè, inspicere circa Sabbathi, specialiter ita
dicti, ac cæterorum festorum ceremonias, ritus pariter ac
studium. Atq; ut de JUDÆIS primo ordiamur loco, di-
stinguimus illorum quoad Sabbathi cultum ceremonias ob-
servataq; in SABBATHI ANTECEDENTIA, CONCOMI-
TANTIA eundemq; diem CONSEQUENTIA. De tempore
verò controversum apud eruditos neutiquam esse censemus,
quòd septimum Judæi, & eum quidem nostro diei Saturni s.
ut alii loquuntur, feriæ sextæ respondentem hebdomadæ
diem, sicuti à multis jam seculis, ita etiamnum quoq; festum
habeant ac feriatum. Neq; tamen, quòd notandum pro-
bè est, à summo demum septimi diei mane Sabbathum suum
Judæi auspiciantur, sed ipsam quoq; sexti diei, Politici videl.
nostri, *vesperam* septimo diei adjungunt & festum habent.
Inde & Hieronymus in Cap. 2. Jonæ memorat, & ex Cap. I. Gen.
colligit, *principium diei apud Ebræos fuisse olim vesperam, noctem-
que non ad præcedentem, sed ad subsequentem diem pertinuisse, &
diem naturalem integrum à vesperâ ad vesperam proximè conse-
quentem numerari solitum.* Quâ re observatâ lux accenditur
non

non uni Scripturæ Sacræ loco. Cognosci hinc potest, quomodo intelligendum illud sit, quando Deus Israelitis mandavit, ut immolent agnum paschalem **בין הערבין** inter duas vespervas Exod. XII, 6. hoc est ipso die à Deo ad rem istam constituto, videl. 14. mensis *Nisan*, & hujus quidem diei circa finem, sequentis verò 15., similiter eadem vespervâ incipientis, initium. Prioris igitur diei videl. 14. finis unam vespervam constituit, ac reputatur ab horâ nostrâ pomer. tertia ad quintam; posterioris verò diei nim. 15. initium alteram vespervam constituit, quæ incipit ab horâ nostrâ quintâ. apud Judæos verò, qui diem in duodecim horas pro temporis ratione longiores ac contractiores dividunt, decimi quarti diei vespervâ finiens inciperet sic ab horâ nonâ, ac desineret horâ undecimâ, quâ ipsâ etiam vespervâ, diem decimum quintum incipiens, illucescit. atq; hæc subsequente nocte pascha comederetur, vocaturq; ita nox etiam ista, quia illam præcedens vespervâ diem 15. auspiciatur, Pascha s. primus dies azymorum, ac incidit in diem 15. Mensis *Nisan*, qui *Martio* nostro respondet juxta communem eruditorum sententiam. Indicat hoc *Onkelosus* & *Jonathan*, dum Exod. 12, 2. verba Ebræa: **החדש הזה לכם ראש חודש ראשון דוּת לַכֶּם** **החדש הזה לכם ראש חודש ראשון דוּת לַכֶּם** e *Mensis iste vobis caput mensium*, primus ipse sc. erit vobis in mensibus anni. de Mense *Nisan* intelligenda esse, uterq; insinuat. ita enim *Onkelos* v. 18. ejusd. Cap. ubi similiter in textu Ebr. **בניסן בארבעה עשרה ראשון** est **ראשון** &c. **ברמשה** nec multò aliter *Jonathan* cit. v. 18. **בניסן בארבעה עשרה ראשון לירח זה חכם ירת פסחא** &c. **ברמשה** &c. Coeterum non nescimus, R. *Aben Ezra* scholiis ad Exod. XII. verba ista inter duas vespervas paullò aliter accipere, prout ostendemus infra, ubi peculiaris de Paschæ festo dicendus erit locus. Hæc tamen, quam modò adduximus, mandati divini expositio arridet Theologis. Conferantur Reverendissimus Dn. *D. Waltherus* incomparabili opere *Harmoniæ Biblicæ* p. 208.

B

B. Par.

B. Par. Harm. Evangel. c. 166. ac Hom. Sacr. part. 1. pag. 695.
Dilherrus disput. quad. anno 1636 hab. *Dn. D. Chr. Matthie*
Syst. Theol. min. p. 261. Ut ut verò, *dies Sabbathi* apud Judæos
 non minus ac reliqui septimanæ totius dies circa vesperam
 præcedentis diei incipiat. existimandum tamen hautqua-
 quam est, quasi duo propterea dies Sabbatho ordinario adsi-
 gnentur, desinit enim similiter Sabbathum circa diei illius,
 qui nobis Saturni dies est, vesperam. Ut inde non longius,
 quàm cæterorum dierum uni, spacium (nisi *additamentum*
 illud exiguum, de quo postmodum dicemus, peculiarem diem
 constituere, quis velit autumare) ipsi Sabbatho Judæi tri-
 buant, atq; sic integro septiduo unicum saltem diem ordina-
 riè festum habeant. Id quod vulgato isto dicterio suo, quo
 insuper Sabbathi sanctificandi causam ridiculè insinuant,
 indicant: Ita enim in Bereschith rabba s. expositione ma-
 jore Geneseos legimus: *חד בשבתא: הרי תלתא ארבעתא*
ערובתא שבתא ליה בן יומ h. e. *prima*
(dies) in septimanâ, secunda, tertia, quarta, quinta, vespera (Sab-
bathi, ita enim dies sextus καὶ ἑξῆς vocatur, quia incidit
in illam vespera Sabbathi) Sabbathum, cui non est filius par (h. e.
non habet parera s. diem, quæ cum ea jungatur.) sex
nempe dies septimanæ constituunt tria paria conjugalia, sed Sabba-
thum est solitarium & viduatum, unde Deus ipsi addixit Israelitas
quasi conjugem, ut eum precibus, cantionibus, sacris lectionibus &
concionibus honorent ipsiq; toti adhaereant, ut uxor marito sive ma-
ritus uxori. ceu refert Buxt. Lex. Talm. p. 1660. Habemus igitur
terminum Sabbathi Judaici à quo generalem sive initium,
vesperam videlicet diei Veneris, aut feriæ secundum nostrum
loquendi modum sextæ. Specialem verò terminum à quo
Sabbathi Judaici s. momentum illud, quo incipit Sabba-
thum, nec ipsimet ostendere nobis possunt. Inde etiam
est, quòd horam unam tardiùs desinant, quò, si quid forsan
ex termini à quo ignorantia peccatum, aut Sabbatho detra-
ctum, illud per additamentum hoc s. horam istam superfluum
refarciatur. Tempusculum illud *תוספת מחורא*
קדש

קרש additionem de profano ad sacrum adpellant, idq; significari aliquando in lege volunt per שבת *sabbathulum*. Hæc sicuti rectissime à Paulo Fagio (de quo notatu dignum *Elie Levite* Judæi encomium legatur apud Cl. *Schick*. *Bechinath* *Happer*. p. 112.) observata sunt ad Cap. XXXI. Exodi: ita sanè ad probare non possumus *Joh. Drusii*, viri aliis Ebraica doctissimi, sententiam, dum statuit *additamentum illud Sabbathi incidisse in פקודי diei sequentis*. Ipsum igitur Sabbathum quâ horâ incipiat, dispiciendum porrò est. quæ quidem res non tantam haberet difficultatem, nisi vox ערב *vespera* in Scr. S. diversimodè acciperetur, id quod jam pridem observatum *Walthero*, *Glassio*, aliis. Sumitur enim quandoq; pro prima noctis post Solis occasum parte, quandoq; pro tempore toto illo, quod post meridiem est, quandoq; pro prima vigilia nocturnæ tempore, quandoque tandem pro ipsa nocte. Certè ipse sapiens *R. Aben Ezra* diversam vocis ערב *vespera* significationem & acceptionem agnoscit, indeq; duas etiam illas *vesperas*, quas inter agnus paschalis mactari debebat, dilucidare conatur, quando ad Exod. XII. Comm. 6. hæc notat: הנה יש לנו שני ערבים האחר ערבת השמש והוא ערבת ביאתו תחת הארץ והערב השני ביאת אורו הנראה בעפיים והנה יש ביניהם קרוב משעה שלש שעות quæ nos verba ita *πρόβα* exponimus: *Ecce sunt nobis due vesperæ. Una vespera Solis, & hoc tempus occasus ejus* (Solis videl.) *sub terram. & vespera altera* (est) *occasus lucis s. splendoris ejus* (puta Solis) *qui apparet in nubibus. & ecce est inter illas* (vesperas) *propinquum temporis spacium ab horâ & ternario hora. Momentum igitur illud, quo vespera Sabbathi incidebat vel exoriebatur, ut ut accuratè determinare haut queamus, cum ipsi Judæi, ceu Fagius ad Exod. 12. testatur, ignorent, probabiliter tamen statui posse credimus, quòd cadat in spatium illud aut in illius finem, quo Sol sub terram incipit absorberi, ac splendorem adhuc aliquem de se in nubes remittit. hoc ipsum namq; tempus juxta Aben Ezram, ceu modò dictum,*

est spatium inter vesperam Solis ac vesperam lucis, s. quando stellæ oriuntur ac conspici solent. facit huc, quod R. Salomo illud, quod in Talmudh habetur מאורתא ללכת ita exponit in glosâ: משתשיכיה ושקיעה החמה. ex quo tenebræ fiunt & occasus Solis. alibi verò per צאת הכוכבים i. e. ortum stellarum. Neq; tamen dies saltim festos à vesperâ præcedentis diei ordiebantur Judæi, quod Bonfrerius quidem statuit Comm. ad Exod. 12. pag. 399. sed in reliquis etiam diebus idem hoc habebat locum, adeò ut vulgari etiam (sed apud Judæos) consideratione vespera præcedentis diei ad sequentem diem pertineret, illiusq; initium constitueret. Loquimur verò de die naturali, qui noctem etiam & quidem diem suum, strictè ita dictum, antecedentem comprehendebat sub appellatione suâ, non verò de artificiali, qui à nocte quandoq; distinguitur, quâ de re consulatur Schindl. Lex. Pent. p. 745. Scaliger in de Emend. Temp. lib. 1. p. 6. Atq; hæc de Sabbathi tempore delibasse impræsentiarum sufficiat.

CAP. II.

Sabbathi preparatoria: lychnum accendunt. è quâ materia ille factus vel fieri possit? mensam sternunt. quare duos imponant huic panes? cum gaudio Sabbathum transigunt. quàm ridicula opera fieri in eo prohibeant. iter Sabbathi. exceptionem tamen etiam præcepta de operibus quibusdam Sabbathi admittunt. Cultus divini quæ ratio in Sabbatho? de Læctionibus Sabbatinis, Paraschis ac Haphtaris. Docentes in templis. Libri precationum Judaicarum. Sabbathi clausula.

JAM quod Sabbathi antecedentia sive præparationem ad Jeam spectat, ibi tenendum primo loco est, quòd lychnum accendant, id quod muliercularum cum primis est officium. Simul enim, inquit Dieu Comm. ad Luc. p. 389, ac Sol montium & arborum cacuminibus incumbens occasui vicinus est, mulieres Judaicæ lumina Sabbatharia, ad minimum duo, prout testatur Chri-

Christianus Gerson Judæus conversus lib. 1. Judæismi cap. 19.
accendunt, versus ea manus expandunt, & durante Sabbatho ar-
dentia relinquunt. De his *lucernis* notandum est, quòd ex *oleo*
plerumq; fieri debeant, pro quo ex traditione Talmudhica,
ne cerà quidem uti concessum, ceu ex Talm. Tradit. cap. 2.
observat sagacissimus *Buxtorff.* Lex. Talm. p. 1039 neq; ta-
men circa materiam saltim sollicitos deprehendimus Ju-
dæos, sed & circa *ellyphnium.* cùm enim hoc vulgaribus die-
bus ex *salicis* materia quadam levi raraq; & quasi lanea, quæ
inter lignum est corticemq; salicis, desumere possint, prohibi-
tum est in Sabbatho s. ad Sabbathi lucernam hujusmodi el-
lychnium adhibere, quippe quod Sabbathi dignitati haut re-
spondeat: nec extinguere etiam lumina ista Sabbatharia
prius licet quàm materia eorum absumatur, & sic naturali, ut
ita loquamur, morte illa intercident. Lumina tamen hæc
priusquam accendant, cætera parantur, quæ ad Sabbathum
sine labore transigendum spectant, præparant *cibos* ac potum,
quin lectum etiam ac *mensam* sternunt, omniaq; illa pera-
gunt, quibus aliàs ad Sabbathum tranquillè h. e. sine labore
peragendum opus habere videntur. inde Proverbium ortum:
מי שמכון בערב שבת יאכל בשבת: h. e. *qui præ-*
parat (cibum videl.) *in vespere Sabbathi, comedet in Sabbatho.*
Neq; tamen præparationem hanc è cerebello se suo hausisse
concedunt, sed originem illius ad ipsa antiquissima usque
tempora referunt. videl. ad mandatum illud Dei de manna
ad diem Sabbathi colligendâ, quod ita sonat: *& erit in die*
sextâ ויהיו ויִּאָרְבּוּ וְאָפְרָו וְאָפְרָו וְאָפְרָו *& apparabunt, quod afferrent, & erit duplum, super*
(illud) quod colligent die die (h. e. singulis diebus) Exod. XVI,
5. in cuius etiam rei memoriam Judæi duos panes sibi impo-
sitos mensæ adponunt, auctore suprâ laudato *Christ. Gerson*
l. c. Ipsum verò Sabbathum suum gaudio ac lætitiâ transi-
gunt, nihilq; curant amplius, quàm ut post cultum divinum
sine laboribus ullis, quin iis etiam rebus, quæ nec inter la-
bores referri propriè possunt, diem istum consumant in de-
litiis, genio indulgentes ac comotationibus. in his enim

non exiguum Sabbathi ac cæterorum dierum discrimen situm esse, persuasum sibi communiter habent. Insinuant vacationem ab operibus in diebus Sabbathi per distincta præcepta, quibus varia atq; adeò ridicula, ne peragantur in Sabbatho, prohibentur. Prolixè isthæc & accuratè, ut solet, recenset CL. Schickardus in de Jure Regio Ebr. Cap. 5. quod de Bello agit, theor. 18. p. 145. è quo loco pauca saltim eaq; notabiliora huc adponere non erit grave. Itaverò ille: Omittunt Judæi in Sabbatho omnes operas, nulla cura, onere nullo gravantur, ne quidem in sacculis vestium aliquid portant. ut verò ipsi nihil gestant, ita nec jumenta sua plus portare permittunt, quàm quo alligari, retineri aut duci possint v. g. equum freno quidem, sed non ephippio licet onerare. si qua gallina panniculo annexo notatur, eo sublevari solet pridie. pecus quod in fossam delapsum est, non facile solent extrahere Sabbatho, ut olim tempore Christi Matth. 12. 11. sed immisso pabulo relinquunt ibi, donec laborando succurrere liceat, nisi locus sit palustris aut aliud vitæ periculum in morâ. Pauperes Christianos vili ære conductos adhibent, qui tunc si hyems est, ignem foveant, candelas accendant, aut si æstas, vaccas emulgeant. Cæcis non licet baculo tunc niti, at solis claudis id concessum: quia illi carere possunt, hi non vulneratus emplastrum pridie impositum retinere potest, sed avulsam non reponere, nec recens vulnus obligare. pecuniam die festivo non attingere eos, certum est. æstate muscas abigere, sed stabellum velut onus gestare non licet pulicem si pungat, capere fas est, sed haut necare, nec in pavimento saltantem opprimere. pediculos quidam tunc perimere concedunt, alii prohibent & Cameli mactationi equiparent. Arborem fructus decerpenti vel ramum abscindendi causa non licet ascendere. non cytharâ canere vel quodvis organum pulsare (subintellige extra usum sacrum) nec ore sibilum efflare, neq; ad ejus sonum saltare, immò ne quidem infantes lacrymabundos demulcere crepitaculis. Excipiuntur tamen nuptiæ, ad quas Christianos cytharædos conducunt. ostia manu pulsant, non malleolis appensis. hortos non rigant, nec transponunt plantas, nec fodiunt arbores, nec inserunt sartori ne acum quidem ferre licet, nedum viro gladium, vel scutum hastamve militi. nam si quicquam horum facerent, lapidationem meruisse putarentur.

Hæc

Hæc breviter adducere visum fuit, quibus tamen addi possunt, quæ eruditè etiam tradunt ac collegerunt Christ. Gerson Talmud. Jud. part. i. c. 19. Buxt. Synag. Judaica c. 10. ii. Cum primis verò, quæ more suo h. e. accuratè in hanc rem collegat D Theod. Thum. *tr. Hist. Theol. de Festis* p. 12. & *seqq.* De itinere Sabbathi, cujus in Scripturâ S. quoq; mentio fit, quodq; emitti die Sabbatho licitum erat, prolixus dicendi locus etiam hic foret, verùm cum pagellarum harum angustia prohibeat, remittimus lectorem ad Schickardum מ"מ p. 145. 146 Schindl. Lex. Pentagl. p. 1802. Buxt. Lex. Talmudh. p. 2582. Christ. Gerson Talmudhi Jud. part. i. c. 19 Casp Barthium Advers. pag. 135. Bonfrer. in Pentat. p. 454. quibus è Theologis nostris etiam adde Dn. D. Paul. Tarnov Comm. in Joh. p. 669. B. Par. Harm. Resurr. c. 7. p. 179. & c. 13. p. 518. 519. & c. cum primis quoq; Commentatores ad Act. I. v. 12. *Eorinam*, Sanctium, Cornelium Corn. à Lapide & alios. Quæ verò de Sabbathi operibus supra adductis aliisq; *omittendis* dicta sunt, limitationem etiam ipsorum Judæorum sententiâ quandoq; admittunt, ceu belti cum primis tempore, quemadmodum ipsorum Rabbiorum verbis demonstratum ivit sæpè laudatus Schick! c. p. 147. 148. ubi etiam ostendit, quòd stultè egerint Judæi isti I Macc. 2. v. 36. quin contra legislatoris etiam mentem, dum hostibus præpostero pietatis studio jugulandos quasi sese obtulere. *Cultum* quod concernit *divinum* in die Sabbathi, ibi vel ex Scriptura etiam librisq; Novi fœderis constat, quòd consuetudo apud Judæos jam inde à longo tempore fuerit, in Synagogis suis die Sabbathi certas aliquas pericopas ex Mose & Prophetis פ"שור & ס"רין in Mose, הפטרו"ר in Prophetis dictas, non solùm à Sacerdotibus & Levitis, sed aliis etiam, licet extra ordinem, peculiaribus atq; eximiiis Spir. S. dotibus fulgentibus legi, quin postillâ etiam quâdam, ceu hodie loquimur, sive textûs declaratione exponi ac illustrari. Quâ de consuetudine insignes in N. T. loci sunt Luc. 4. 16. 17. 20. 21. Act. 13. 15. c. 15. 21. I. Cor. 14. v. 19. de quibus locis atq; adeò consuetudine quoque istâ videantur B. Par. præfat. ad Part.

Part. I. Homil. Sacrarum. Dn. D. Waltherus Harm. Bibl. p. 846.
 Schickardus Bechinath Happer. p. 18. 19. Buxtorff. Bibl. Rabb.
 p. 283. Dn. D. Müllerus Judaismi Prol. p. 11. 12. Dn. D. Helvicus
 de Chald. Paraphr. Cap. 1. Dn. Dilherrus Eclog. Syr. p. 337. Laur.
 Fabricius Partition. Cod. Ebr. cap. 7. & 10. Hanc ipsam verò
 lectionem biblicam non ex Ebræo semper Textu, sed ex
 versione quadam s. Targhum quandoq; factam etiam esse,
 probabile videtur. Schickardo Bechin. Happer. p. 21. ac nota-
 tu etiam dignum judicat eruditissimus Cameræ Myroth. Ev-
 angel. p. 120. quòd docentes s. textum istum biblicum, quem
 stantes prælegerant antea, exponentes sederint, idq; nota-
 tum à Luca etiam esse verbis: καὶ πύξας τὸ βιβλίον καὶ διδούς
 τῶ ἱστανέτη ἐνάησε l. c. Reliquos verò auditores, excepto so-
 lum Rege de familia David olim in Templo Hierosolymita-
 no sive erectos stetisse, sive in genua procubuisse, non malè è
 Maymonide colligit Guil. Schickardus Mischp. Hammel. p. 94.
 Volupe esset, plura talia huc comportare, atq; sic accuratiùs
 è Judæorum monumentis antiquissimis loca quædam Scri-
 pturæ, in quibus ad ritus hosce Judaicos respicitur, illustra-
 re, verùm iter hoc longum est, ceu Ebræorum proverbium
 habet, viatici autem parum. cum primis è re etiam Φιλε-
 Βογίων forsàn foret, percipere suspiria atq; preces, quibus Ju-
 dæi festis suis diebus utuntur, quæq; passim habentur in li-
 bellis eorum tritis, titulo סדר התפלות i. e. ordo precum,
 התפלה מכל השנה i. e. precatio s. liber precum per totum
 annum. סדר התפלות כמנהג הכפרה i. e. dispositio
 precum secundùm consuetudinem Hispanorum h. e. Judæorum in
 Hispania viventium &c insignitis. Operæ etiam pretium
 forsàn faceremus, si ex iisdem libris recenseremus, quàm be-
 nè scil. nobis (quos Ammonitarum, Edomitarum, ac Moa-
 bitarum insigniunt nomine) die Sabbatho iidem precentur,
 quòd scil. Deus nos extirpare ac perdere velit. quâ de re
 peculiarem promisit libellum Buxt. Synag. Jud. p. 310. Obser-
 vavit tamen idem de Abb. Ebr. p. 103. quòd hodierno tempo-
 re ignominias hujusmodi in precationum libellis omittant,
 relicto

relicto spatio, quò à lectore adscribi possint. Hujusmo-
di librum CL. Schwenterus etiam possedit, ceu ipse me-
minit in Ps. 22. Sed de Sabbathi Judaici clausula dicen-
dum quoq; hîc loci aliquid est. Quemadmodum verò
Sabbathi *vesperam*, quæ principium ejus est, lucernis in-
censis auspiciantur Judæi, ita quoq; similiter sub *finem* il-
lius *candelam magnam* faci non absimilem accendunt,
quæ Sabbathum claudit, ac à profano die, qui itidem ve-
spera istâ incipit, distinguit, unde & fax s. candela illa
ההכרלה נר *lucerna separationis* dici consuevit. Cæ-
terum separationem hanc non unâ saltim lucernâ hâc
Judæi peragunt, sed multas hîc cernere licet ceremonias,
de quibus in libris illorum **סדר מנהגים** sive *Ritualibus*.
ההכרלה *ordo separationis istius hic est*, scribit Buxt. Lex.
Talm. p. 262. 1. *precibus certis consecratur vinum*. 2. *aromata*.
3. *lumen separationis*. *Inspiciuntur manus & ungues digito-
rum*. Conferatur idem in Abbr. Ebr. p. 94. & quare mu-
lieribus sabbatharia luminaria accendere, injunctū sit, in
Synagoga Judaica p. 247. 248. Quæ verò de Sabbatho
hactenus dicta sunt, illa ipsa de reliquis etiam festis (in
quibus major quidem deinde solennitas accedit) intelli-
genda sunt. ita enim habetur in *Mischna* h. e. textu Tal-
mudhi Babylonici part. 2. quæ de Festis est lib. VII. Cap. 5.
**כל שחייבין עליו משום שבת משום רשות
משום מצוה בשבת חייבין עליו ביום טוב**
i. e. *de quocundq; tenentur (Judæi) propter Sabbathum vel
propter licentiam, vel propter præceptum (sive præceptum
aliquod commissionis fuerit, sive omissionis) de eodem et-
iam obligati sunt alio etiam die bono h. e. festo*. Satis de Sab-
batho Ebraico sive Judæo, (plura enim qui nosse de riti-
bus ejus desiderat, abunde reperiet apud Buxt. Synag.
Jud. Cap. 10. & 11. itemq; Christ. Gerson Talmudh. Jud.
lib. I. c. 19) paucis nunc de Sabbatho hebdomadali reliquo-
rum

rum Orientalium, Syrorum nempe, Æthiopum Arabum-
que agendum.

CAP. III.

Mohammedani quem diem singulis hebdomadibus festum habeant? quomodo cessent ab operibus? quam religiosi iidem in Templis sint? De capitis nudatione in Templis ventilatur locus 1. Cor. XI, 4. De clamore vehementi in precibus. Privilegium mulierum Turcicarum in Sabbatho. De Syrorum & Æthiopum die festo, & quomodo Æthiopes diem pariter Solis ac Saturni festum habeant? ἡμέρα ἡμεῶν: Æthiopes quando ad Christianam fidem perverint? Ritus Ecclesie Syre ac Æthiopice hodie in quibusdam ad Romanæ Ecclesie ritus conformati. Rituale Severi Alexandrini Episcopi. Lectionum tituli in N. T. Syriaco & Æthiopico.

Sicuti Judæi tum propter primænam DEI Opt. Max. institutionem, tum etiam propter liberationem ex durissima servitute Ægyptiaca jugiter recolendam septimum quemq; hebdomada diem festivum habuere ac sacrum; ita Mohammedani non epocham solum suam annumq; à turpissimi illius impostoris, Muhammedis videlicet fugâ ex urbe Mecca in urbem Jethrib, quæ incidit in annum Christi DC XXII. d. 16. Julii auspiciantur, sed diem quoq; istum, quo à popularibus suis in fugam conjectus est, qui feriæ nostræ sextæ, Veneris vulgò dictæ diei, respondet, sacrum habent ac feriatum. Vocant verò diem istum *congregationem*, quia die isto hebdomadatim certis horis Turcæ conveniunt rebusq; sacris more suo vacant, vel etiam zumaghiuni i.e. diem templi, quia die hoc ntpote iis sacro certis horis ad templa cōvolant cū primis, Orationibus vacant atq; ardentius orant, ut habet de his Johannes Cotovicus Ultraj. Itinerarii Hierosol. Syr. Ex-

Excerpt. Cap 5. p. 156. Neq; tamen totum diem ita festum habent, ut ab omnibus omnino laboribus, qui vix nomen laboris merentur, ceu Judæi faciunt, abstineant: sed nec Christianos etiam imitantur quoad Sabbathi s. diei hujus (qui nostro diei Dominico apud illos respondet) festivitatem. *A laboribus enim negotiisque*, scribit de iis laudatus Cotovicus, *eo die*, Veneris scil. qui nostro Sabbatho respondet, *hant abstinent: sed officinas tantum dum preces sunt, occludunt; sinitis aperiunt, & ad sua singuli negotia redeunt, feliciores se sequenti hebdomada futuros arbitantes, si eo die merces solito plures deventant & lucrentur.* Meminit quoq; idem, nullas in templis Turcorum esse deambulationes, confabulationes, risus, jocos, strepitus (*ut in nostris prob dolor sit Ecclesiis*, exclamat idem piissime) nullas item tusses nec sternutationes audiri, immò ne sputantem quidem videri ullum, sed quietam, sedatam, compositam ibi esse omnia. Quæ res sanè emulationis stimulis nos, qui verum nos colere Deum, è verbo divino certi sumus, rectiusq; de salutari, quem verus ac sincerus divini Numinis cultus secum affert, fructu edocti, incitare debebat ac impellere, ne vel in minimis ab Ethnicis vinci nos ac superari concederemus. Cæterùm dum meminit, *viros inter precandum pileos vel Thulipanta sua non deponere, sed summis saltim digitis attingere q. elevaturi*, ibi commodè in mentem venit, quod *Bonfrerius de Chinesibus* tradit; moris videl. apud eos esse ac reverentiæ signum, capite aperto in templum subire, divinisq; rebus ad stare. quin apud Judæos antiquos idem hoc obtinuisse exinde colligi posse, idem *Bonfrerius* putat, quòd vetitum esset tam Pontifici, quàm cæteris Sacerdotibus *caput nudare* Levit. 10, 6. & 21, 10. utiq; ad reverentiam in rebus sacris. Ast enim, quod hîc de *Sacerdotibus ac Pontifice* dicitur, ne utiquam ad omnes omnino mares spectare, idem censet, quippe quos ad Christi usq; & Apostolorum tempora communi-

ter nudo s. aperto capite apud Judæos incessisse, multis idem
argumentis probabile reddere conatur, imprimis quia
præceptum hoc seu speciale quid Sacerdotibus datum: de qui-
bus plura notatu non indigna legere licet apud dictum
Bonfrer. Comm. ad Ex. 3. v. 5. p. 354. Quæ omnia licet de pro-
fanâ conversatione forsan concedamus, de sacro tamen
cultu nondum evictum: posterioribus certè temporibus
usu omninò inter Judæos receptum fuisse, ut *aperto capite*
orarent, quod etiamnum Judæi observant, ex *Maimonide*
constat, qui Part. 1. lib. 2. **הנהגות** tr. de Orat. cap. 5. §. 5.
Mischnæ hoc præceptum Judæis reliquit: **ולא יעמד**
בתפלה באפונה ולא בראש מגולגל ולא
מגלגל i. e. *Et in oratione s. preceatione non erit*
(Judæus in templo,) cum marsupio suo, Et non cum capite
nudo, Et non cum pedibus nudis Quod de *perâ* dicitur, de-
sumtum dubio procul ex *Talmudh Babylon.* ubi part. 1.
lib. 1. qui de *Precibus* agit, hæc habentur: **לא יכנס אדם**
להר הבית במקלו ובמנעלו ובאפונהו *non ingre-*
dietur homo in montem domus h. e. in Templum Hieros. cum
baculo suo, cum calceo suo Et cum perâ suâ. Ex quibus verbis
simul successu temporis quædam mutata esse in ceremo-
niis, constat. Judicent curiosi antiquitatum Scrutato-
res, an forsan ad consuetudinem istam Judæorum D.
Paulus respexerit, quando 1. Cor. XI, 4. scribit: **πᾶς ἀνὴρ**
προσευχόμενος ἢ προσφητεύων κτ̄ κεφαλῆς ἔχων, κα-
ταχώς ὡς τὴν κεφαλὴν αὐτοῦ. neque tamen contra ipsam
Dei legem, quâ Sacerdotibus ac Pontifici operto capite
sacra facere injunctum erat, pugnavit. An verò ad
morem illum usitatum, quos penes capitis opertio subje-
ctionis signum erat, Apostolus oculum dirigit? vel *κα-*
κοζηλίαν illam paganorum Sacerdotum improbat, quâ si-
cut illi sacrificantes caput mitris tectum habebant, ita &
nonnulli inter Christianos gentium more operto capite
spiri-

spiritualia sua sacrificia h. e. preces Deo offerre concupi-
 scebant, gratiores hoc ipso Deo futuri magisq; impetra-
 biles. Quem morem utpote ab Ethnicis arcesitum ac
 sub cultus Dei grati nomine fortè introductum vel arri-
 dentem certè nonnullis, meritò Gentium Doctor impro-
 bare videri possit. quo sensu etiam Auctor libri de *Con-*
temtu mundi, Augustino adscripti, Cap. 4. illos redarguit
 clericos, qui Psalmodias, hymnosq; spirituales cantantes
 capillos, mitras, cæteraq; velamina in capitibus porta-
 bant. Atq; sic hanc Gentium *κακοζηλίαν* Apostolus ta-
 xaret. Sed non licet nobis hîc esse prolixioribus: qua-
 re remittimus scrupulosum rerum harum indagatorem
 ad Spicil. *Ludovici Capelli*, quò viro nemo, nisi fallimur,
 accuratiùs quoad ritus veterum locum hunc pertracta-
 vit. Addi tamen utiliter & illa possunt, quæ de Oran-
 tium gestibus externis graviter tradunt Theologi nostrat-
 es, interq; illos Academiae quondam hujus non postre-
 mum decus Dn. D. *Balduinus* lib. II. de Cas. Consc. cap. 9.
 p. 243. cum primis verò observanda & illa sunt, quæ pie-
 tatis Theologicae plena Summus Theologus Dn. D. Justus
 Feuerborn. Patronus meus æternùm venerandus scripta
 de loco præsentis reliquit, Fascic. Theol. V. disput. 5. de
 Scandalo § 21. 33. Quod verò de Sacerdotibus s. Prophetis
 Baal sacrae paginae I. Reg. XII. commemorant, quòd *cla-*
marunt קורו בקור voce magnâ & inciderint sese,
 quò à fictitio suo Numine exaudirentur, quos falsè eapro-
 pter derisit Elias dicens: *Clamate in voce magna, quia medita-*
tur Deus vester, forsitan dormit ipse, & excitabitur: idem fer-
 mè & Mohammædani æmulantur, de his enim similiter su-
 præ laudatus Cl. *Job. Fabricius* l. c. tradit, quòd cum post
 recitatum primum Alcorani caput, quod instar Oratio-
 nis nostræ Dominicae illis est, sapiusculè *Allah* suum, ver-
 ba nimirum ista אלה אלה אלה אלה i. e. *non est*
Deus alius, nisi Deus, unus videlicet ille Pater (hunc enim
C 3
solum

solum pro vero Deo juxta cum hodiernis Judæis Hagareni agnoscunt) ingeminant, addendo etiam quandoque מוֹחֵל רִסוּל מוֹחֵל מוֹחֵל *Mohammed nuncius Dei* (vide omnino hic *Schindl. Lex. Pentagl. p. 77.*) & quidem clamore summo vehementissimoque mirâq; corporis totius commotione, ita tandem delassentur, ut spumam ex ore emittant alii, alii ob vim, sibi clamoribus illatam facie nigrescant, & veluti semimortui labantur in terram. *Existimant enim, addit idem, his corporis afflictionibus DEUM maximè placari; imò quo majorem sibi quis vim inferat, eo se ingratiorem Deo fore arbitratur.* Haut procul ab his Monachi inter Pontificios ablutunt, qui præter flagellationes maximam clamoribus suis vim inesse putant. Hujusmodi clamores vel boatus potius inconditos valde ac auribus inamœnos cum decennio abhinc Ratisponæ in Dominicanorum, nisi fallor, templo, audirem, quidam inter comites meos simplicioris animi homo, cui hujusmodi comœdiæ forsan antehac nondum erant auditæ nec visæ, admirabundus in hæc erumpebant verba: *ecquomodo clamores hi Deo nostro grati esse possunt, cum nobis hominibus auditu tam ingrati sint atq; adversi.* juxta illud videl. *R. Chavine,* quod in *Pirke Abboth* s. *Capitulis Patrum* legitur: כָּל שְׂרוּחַ הַבְּרִיּוֹת נַחַה הַיָּמִן רוּחַ הַמִּקְוֶה נַחַה הַיָּמִן וְכֹל שְׂאֵן רוּחַ הַבְּרִיּוֹת נַחַה הַיָּמִן אֵין רוּחַ הַמִּקְוֶה נַחַה הַיָּמִן. Sed ad Orientales redeundum, è quibus Ebræorum s. Judæorum itemq; Arabum Mohammedanorum sacra pro chartæ ratione lustravimus. Ubi de Mohammedanorum Sabbatho ordinario vidimus, quod neq; cum Judæis in die Sabbathi constituendo illi convenient. Jam nunc etiam cognoscemus, quòd à Christianis quoq; Orientalibus discedant. Idq; insinuatum Theologi ac Interpretes nonnulli censent in Danielis Prophetiâ, quando de Turcico regno, cujus fundamenta impostor ille Mohammed jecit, ita vaticinatur

tur vir Dei: & sermones ex parte altissimi loquetur, & sanctos
altissimorum abolebit, & cogitabit למשנה למנוח mutare
tempora &c. Cap. VII. Daniel. v. 25. ad quem textum CL.
Theologus idemque Historiographus excellentissimus
Dn. D. Christ. Matthie Theatr. Histor. de IV. Monarchiis
P. 4 p. 11. notat: *hæc Turcæ competunt, qui tempora mutavit
in Algeras, & legem in Alcoranum. Neq; diem Dominicum
neq; diem Sabbathi observat, sed diem Veneris ejus loco vene-
ratur, in odium Christi Salvatoris, qui eo die pro Salute mundi
crucifixus est.* Caterum per מנוח rectè מנוח (ita le-
gendum, non verò מנוח uti corruptè habetur in Cor-
nelio) memoratus Cornelius à Lapide intelligit, *stata nempe
festa, uti Pascha, Pentecosten, Dominicum diem &c.* Quod
verò supra monitum à Dn. D. Chr. Matthie fuit, Turcas in
odium Christi *diem Veneris* in locum Sabbathi Judaici
ac Christianorum diei Domin. surrogasse, scrupulum ali-
cui posset movere, qui legerit apud CL. Schick: Proœmio
hb. Tarich p 80. & seqq. nomen JESU Turcis ita honora-
bile esse, ut eo tanquam adversus omne infortunium ef-
ficacissimo in suis Chamailis (ita vocant Turcæ schedu-
las quasdam circumvolutas, à Sacrificulis suis confectas,
ceu apud Pontificios Evangelium Johannis, nec non a-
pud Judæos dicta quædam Biblica, quæ de re alibi) abu-
tantur. immò & publicum decretum contra Judæum
quendam, qui Christum ישו ore blasphemus vocare au-
sus fuerit, in ipsa urbe Constantinopoli à Muhammeda-
nis factum sat asperum fuisse, testè *אבותינו* laudat idem
Schickardus. videatur omnino & Cotovicius cap. 3. Cum-
primis verò & illud hæsitacionem alicui ingerere posse vi-
detur, quòd Turcæ non credant, Christum Salvatorem
nostrum Opt. Max. *cruci à Judæis affixum occisumq; esse, sed
alium quendam* (nimirum Judæum, prout Cotovicius notat,
fuisse substitutum, blasphemè asserant, ceu ex ipsis Turca-
rum Bibliis, Alcoranum dico, eruditè demonstrat lauda-
cus.

tus *Schickardus*, cui addatur *CL. Hackspan*. assert. Pass. Do-
min. nec non *Excell. Dilherrus* *Histor. Turcicae* § 34 *Jo-*
hannes Cotovicus Itin. Hieros. Cap. 3. Hæc utut sese ita habe-
ant, negandum tamen hautquaquam est, Mohammædem
cum suis asseclis *أعداء* Christiani nominis hostem esse,
atq; adeò in odium Christianorum diem nostrum Domi-
nicum repudiasse. Licet itaq; Christum *روح* (quæ
vox idiomate Turcico *Prophetam* sonat) in *Genealogia A-*
rabica, quam *CL. Schick.* luci dedit, nominent, quin & in
amuletis suis *روح الله* i. e. *spiritum Dei* vocent, cui dede-
rit *Deus intelligentiam, ac roboraverit* *روح القدس* per *Spi-*
ritum Sanctum, *Suratâ* 2. v. 251. immò licet perquam ho-
noricè loqui de eod etiam videantur in eod. *Alcorano*, ubi
hæc legimus *انما المرسلون من عند الله و كلمته لقاله الذي يبرم و روح من*
i. e. *utique Messias s. Christus Jesus Filius Maria Legatus (sive Prophe-*
ta) Dei, est sc., ac verbum ejus, & spiritus ex ipso. sc. Deo. *Sur.*
4. Strenuè tamen iidem inficiantur, verum Deum ipsum
esse, eundemq; à Patre genitum. moti inter alia, de qui-
bus *CL. viri, Dilherrus* in *Histor. Turcica* MS. §. 34. *Hack-*
span, in de Fide Mohammædis tr. litt. K., hoc quoq; argu-
mento, quia non habet uxorem. ita enim ratiocinatur
maledictus ille homo Mohammæd *Surata* five sectione
72. *لا اتكز صادية ولا ولدا* non habet Deum conjugem s.
sociam, neq; s. ideò nec, filium. Quamvis & dici forsan
possit, propterea *Veneris diem* à Turcis festum haberi,
quia fuga *Pseudoprophetae* Mohammædis, cujus placitâ
Turcæ pariter ac Persæ sequuntur, incidit in *Veneris*
diem s. feriam sextam, diem videl. 16. Julii æræ Christia-
næ 622. attestante *Dilherro* *Hist. Turc.* §. 6. Sive quis malit
adserere, exinde *Veneris diem* sanctum ac feriatum Mo-
hammædanis censerit, quia ad punctum ejus stellæ *Mo-*
hammed Rex factus, ceu prodit Bernh. Werenbergius in *Sarac.*
Dominatu §. 9. Caterum totum *Veneri* fuisse Muham-
mædem

mædem deditum, abunde constat, atq; hinc Mohammædani credunt, quò in Venerem sunt ardentiores, eò se Mohammædi gratiores esse. imò persuasum sibi iidem hominum turpissimi habent, (ò utinam nec multi Christianorum eandem se fovere mentem, ipsà praxi ostenderent!) *in carnis desideriis ac comestationibus festos dies transigi debere*, ceu testatur *Joh. Cotovicus* Itiner. Hieros. Cap 9. qui etiam Cap. 5. memorat, quòd singulis diebus Jovis Talismanni Choggiique (ita Turcarum æditui ac sacrificuli vocantur) turrium projecta seu porticus circa vesperam conscendant, lampadibusque accensis illustrent: easque dum per se extinguantur, relinquunt. Interea illi variis Hymnis Mohammædem celebrant, DEOq; alta voce gratiam qualemcunque referunt. Præterire deniq; haut possumus, quòd *Christ. Richerius* tradit, *Turcarum feminas non omnes indiscriminatim, sed optimatum solummodo uxores in delubris, distincto à viris loco, idq; Veneris saltim die, ad sacra peragenda convenire*. in de moribus & instit. Turcarum tr. Quòd de Turcicis mulieribus in genere memoratum ex *Richerio* fuit, id ipsum de Tripolitanis in specie persequitur *Gabriel Sionita* cum *Johanne Hesrovita*, uterq; Maronita è Libano, quando in Tripolitanae urbis descriptione ex *Ben Sidi Aali* observant, quòd foeminae stas istis ad preces horis non possint Mescuitas (s. templa) accedere, quamdiu viri adsunt. nec ullam omnino in templis virorum societatem habere possint, excepto antesignano, qui eas dirigat ac orandi modum doceat. Quid, quòd iidem tradant, illis foemellis neutiquam permissum esse templum ingredi, sed quòd ad fores sese statuere, indeq; citò, antequam virorum oratio peragatur, discedere debeant. proindeque porrò laudati Syri ex Arabe isto notant, *foemellarum Ecclesiam esse partem proprie domus interiorum*. Facere verò non possumus, quin adhuc adponamus Suratam *Ecfata* s. *Aperien*: è, librū sc. Alkoranum, quæ Turcis æquè usitata est ac nobis oratio Dominica. Ita verò Latine juxta interpretationem Excellentissimi Philologi Dn. *Christiani Ravii* sonat: *Laus illi DEO, Domino creaturarum, illi misericordi miseratori, possessori*

D

diei

diei iudicii. Tibi serviemus, & à Te auxilium petimus. Dirige nos
ad viam rectam. Viam illorum, quibus gratus es super iis. Non
iratus es iis, neq; errant. Ipsum Arabicum textum cum eru-
ditis communicavit Cl. Job. Fabricius Specim. Arab. p. 17. Sæ-
pissimè sectionem hanc Turcæ in Orationibus suis iterant,
cui & alteram addunt, qua Mussulmannorum salutem Mo-
hammedicæq; religionis incrementum, Christianorum verò
atq; aliorum suorum hostium perditionem à Deo exoptant,
tèste Cotovico l. c. Cap. 5. Precatione istâ finitâ cantiones quas-
dam hymnosq; (cujusmodi precationum ac cantilenarum,
maximè ex Alcorano depromptarum, unde & nomen Suratæ
s. sectionis Alcorani additum quandoque referunt h. m.
دعاء اخر انعام i. e. precatio post Bruta sive Suratam VI. quæ
inscribitur سورة الانعام s. Suratæ de Brutis, quasdam tamen
nudè insigunt ita: *ادعاء فضائل* libellum non u-
num MS. ipse quoq; Jenæ possideo) è suggestu modulantur.
Atq; sic sacris suis, ubi suum *الله* *ال* *ي* *و* quo de suprâ, unâ
voce cecinerint prius, finem imponunt. Progressum jam
à Judæis ac Gentilibus ad Christianos faciemus, Syros videl.
ac Æthiopes, si tamen unicum adhuc privilegium mulierum
Turcicarum, quo in Sabbatho s. die Turcarum festo gaudent,
commemoraverimus. Notissimum è rerum Turcicarum
Scriptoribus est, quòd polygamia apud eosdem adhuc lege
Muhammædis (videatur omninò hîc egregium illud clarissi-
morum Philologorum par, Schickardus de jure Reg. Ebr. p. 71.
72. ac Hackspanius de fide & Legibus Mohammædis pos. 6. leg.
4.) in usu sit, ad eò quidem, ut tot quis pellices, ancillarum
quæ munere simul funguntur ac solâ dote à justâ uxore di-
gnoscentur, adsumere possit, quot velit ac alere queat.
Cum itaq; optio mariti sit, cum ancillis suis per totam septi-
manam, neglectâ etiam uxore justâ, concumbere, una tamen
nox singulis hebdomadibus, diei nempe Veneris, qui apud Turcas
festus est, uxori reservatur; quâ sine querela defraudare eam ma-
ritus non potest; cætera eius arbitrii sunt. Testis hujus rei fide
dignissimus nobis est Augustissimi Imper. Rom. ad portam
Turc. Legatus Aug. Busbeq. epistol. 3. p. m. 183. Sed non est hu-
jus

jus loci talia commemorare, nisi ut, juxta *Schickardi* moni-
 tum, occasione hâc datâ Salvatori nostro gratias agamus, qui
 ad primævam institutionem Christianos revocavit, & uni vi-
 ro uxorem unam agglutinari jusfit, Matth. 19, 6. Cùm Mo-
 hammædanis Turcis Persas, cum Christianis verò Armenios
 in multis convenire quoad Sabbathi cultum, alibi ostende-
 mus. *Syrorum* verò quod nunc concernit Sabbathi diem, de
 eo pariter ac de *Æthiopum* die Sabbatho (Æth. ἡμέρα
 ἡν ἠνέστη ἡμεῖς Sabbatho Christi) notandum, quòd in eum
 diem incidat, in quem dies noster Dominicus. Cùm enim
 ab ipsis usq; Apostolorum temporibus die Judæorum Sabba-
 tho, feriæ nostræ septimæ respondente, abrogato Dominicus
 dies s. feria nostra prima ut ferietur introducta sit, *Syri* inde
 atq; *Æthiopes*, quippe qui Christianos se profitentur, hunc
 quoq; ritum non immeritò sequuti à primis Evangelicæ s.
 Christianæ religionis ad illos derivatæ incunabulis sunt.
 Hunc ipsum verò diem meritò *Dominicum* appellamus
 1. quidem moti auctoritate Johannis Theologi Apocal.
 I, 10. ubi Syrus similiter dictionem descendantem à nomine
 ἡμέρα, quod pro nomine ἡμέρα & Græco κύριος in N. T.
 occurrit, adhibet, videl. ἡμέρα κυρίου, (ubi tamen post ἡμέρα du-
 bio procul redundat,) Æthiops verò ita vertit: ἡμέρα ἡν ἠνέστη
 ἡμεῖς ἡμέρα ἡν ἠνέστη ἡμεῖς ἡμέρα ἡν ἠνέστη ἡμεῖς
 venit super me spiritus in die. *Ebud.* quid est ἡμέρα? *ebud?* dubio procul
 legi debet *ἡμέρα* *Jebud*, vel ἡμέρα idem est quod
 ἡμέρα cùm litteræ *Ehevi* sæpè apud Æthiopes permuten-
 tur. atq; ita hâc phrasi indicatur dies Sabbathi Judaicus. *Fe-*
riam enim septimam, scribit *Scaliger* in *de Emend. temp.* lib. VII.
 p. 645. *vocant Æthiopes Sanbath JUDI Sabbathum Judaicum*,
 quemadmodum diem Dominicam vocant SANBATH
 ZACHRISTOS Sabbathum Christi. Miramur verò non im-
 meritò, quâ adductus *Interpres Æthiops* ratione pro die *Do-*
minica, quæ non nisi Christianorum Sabbathum, substitue-
 rit ἡμέρα ἡν ἠνέστη ἡμεῖς diem Judaicum. Vocamus etiam 2. Sab-

D 2

Sab-



Sabbathum nostrum *diem Dominicam*, ob auctoritatem Pa-
 trum antiquissimorum. *S. Ignatius* adpellat *ἡμέραν κυρια-*
κλήν, it. *τὴν ἀναστάσιμον, τὴν βασιλίδα, τὴν ὑπαὶ τῶν πᾶσων τῶν*
ἡμέρων ep. ad Magnes. Festus verò habetur propter sublimia
 opera à Patre, Filio & Sp. S. die hoc peracta. Pater opus crea-
 tionis die hoc cœpit. Christus opus Redemptionis die hoc
 per potentissimam resurrectionem perfecit. Sp. S. die hoc vi-
 sibiliter super Apostolos in terrarum orbem ad prædicandum
 Evangelium emittendos effusus fuit. Insinuat hoc ex parte
 acutissimus pater *Justinus*, dum Apolog. 2. ita disputat: *τὴν τῆς*
ἡλίου ἡμέραν κοινῆ πάντες τὴν σωτέλευσιν παιδεύει, ἐπεὶ δὴ πρῶ-
τη Ἰσὺν ἡμέρα, ἐν ἣ ὁ θεὸς τὸ σκότος καὶ τὴν ὑλήν σφένδας
κόσμον ἐποίησε, καὶ Ἰησοῦς χριστὸς ὁ ἡμετερός σωτὴρ τῆ αὐτῆς
ἡμέρας ἐκ νεκρῶν ἀνέστη. Referunt etiam huc nonnulli, quòd
 die hoc Salvator noster Discipulis suis congregatis verbi Mi-
 nisterium denuò solenniter injunxerit ex Joh. 20, 21. Atq; hoc
 ipso etiam modo *τὴν μίαν τῶν σαββάτων Act. 20, 7. & 1. Cor. 16,*
2. accipiunt Dn. D. *Müllerus* *Judaismi* p. 835. 736. Dn. D. *Chemni-*
tius b. m. *Loco de Lege Dei* p. 138. & alii, prout alibi ostende-
 tur. Hunc diem itaque, quem nos Christiani in Occidente
 propter dictas causas festum habemus, Christiani etiam in
 Oriente feriantur. Neq; tamen hunc solum diem singulis
 septimanis festum *Æthiopes* habent, ac ab operibus sibi tem-
 perant, sed idem etiam adhuc honoris quoad cessationem ab
 operibus manuum *Sabbatho Judaico*, feriæ sc. nostræ septimæ
 exhibent, in quò ritu ne quis existimet, quasi *Æthiopes*, qui
 omninò Christiani sunt, judaizent, tenendam ex Cano-
 ne 33. apud *Clementem* lib. 8. est, quòd apud Christianos etiam
 vetustiores fuerit constitutum, sextam feriam septimæ (loqui-
 mur hîc more illorû, qui diem Lunæ pro primâ feriâ habent)
 addere, ac pariter à laboribus immunem habere. Canon ci-
 tatus sic habet: *ἐργαζέσθωσαν οἱ δούλοι πέντε ἡμέρας. σαββάτων δὲ*
καὶ κυριακὴν ἀολαζέτωσαν ἐν τῆ ἐκκλησίᾳ διὰ τὴν διδασκα-
λίαν τῆς ὁσιβείας i. e. *quinq; diebus operentur servi. Sabbatho*
verò ac die Dominica cessent à laboribus s. ferientur in Ecclesia pro-
pter pietatis doctrinam. Nec in nostratibus etiam Ecclesiis mos
 iste

iste prorsus quoq; exolevit, qui similiter feriæ sextæ partem
rebus consecramus sacris ac cultui divino. Neq; jejunant et-
iam Æthiopes die Sabbatho s. feriâ septimâ, cum, uti diximus,
festum eundem quoq; habeant diem, excepto tamen eo, qui
immediatè Paschatis festum præcedit: idq; similiter pro-
pter Canonem antiquitus receptum: *εἰς τὴν κληρικὸς ἄρεθῆ
τὴν κυριακὴν κἀμέραν, ἢ τὸ σαββατὸν πᾶσι τὸ ἐνός μόνον*, ante
paschatos videl. festum, *νηστῶν καὶ τριημέριον*. Quando verò
Æthiopes ad Christianam pervenerint fidem, inter ipsos quo-
que gravissimos auctores controversum adhuc esse videmus.
Æthiopibus si habenda hîc fides esset, certè ad ipsorum usq;
Apostolorum tempora religionis primordia reducenda fo-
rent. ad *Candaces* videl. Æthiopum reginæ Eunuchum, à Phi-
lippo Apostolo baptizatum, teste historiâ Actuum Apostoli-
corum sacrâ Cap. IIX. Nec desunt etiam inter Christianos
Occidentales, qui idem veritatî consentaneum censeant. vid.
Corn. Corn à Lapide Comm ad Cap. 18 Esaiæ p. 200. Conferan-
tur ea, quæ ex aliis pro hâc sententia allègat ac refutat illu-
stris *Scaliger* de Emendat. Temporum libr. VII. p. 637. & ex eo
Crinesius de Conf. Lingg. Cap. 8. Ipse verò *Scaliger* ex Ecclesia-
stica Historiâ evinci posse contendit, Anno demum XV. Ju-
stiniani h. e. æræ Christianæ 542 per Adad Axumitarum Regē,
ex voto quodam Christianum factum, Christianam religio-
nem in Æthiopiam translata esse. Is ipse *Adad*, inquit *Scaliger*,
*missis ad Justinianum Imper. Legatis, ab eo impetruit Episco-
pos, qui primi omnium tum Christianismum in Æthiopia publica-
runt*. Atq; hoc de Christianismo, non tot abhinc seculis, ceu
Æthiopes dicunt, in Æthiopiam translato, idem illustris
Scaliger inde probare satagit, quia ipsa N. T. Æthiopice item-
que Psalterii versio novitatem redoleat. de quâ tamen re a-
libi prolixiùs differemus. Conferantur etiam omninò hîc,
quæ habet *Lud. de Dieu* adpend. ad Evang. Matth. p. 548. ex
quibus simul quodammodo liquet, quid de *Syrorum Maroni-
tarum*, montem Libanum qui hodie incolunt, statuendum
religionis rituumq; hodiernorum antiquitate sit, cum primis
si addantur illa, quæ suppeditat eximium Lipsiæ quondam

sua decus, *Barthol. Mayerus Phil. Sacrae lib. 2. p. 74.* Posteaquam enim iugo Pontificis Romani Syri pariter & Æthiopes sua submisere colla (ignorandum tamen neutiquam est, quod adhuc in multis à Doctrina Pontificiâ dissentiant, ceu prolixè monstravit B. Par. Loc. de Ecclesi. §. 186.) dubium nemini superesse potest, quin in ritibus ad Romanæ etiam Ecclesie ceremonias sese in plerisque conformarint, atque adeò in Sabbathi etiam festivitate proximè à *Romanâ Ecclesia* quoad externos ritus discedant, indeque haut operæ pretium facturos nos credimus, si longius his inhærere velimus. Quod verò vetustiores Syrorum pariter ac Æthiopum ceremonias concernit, ibi sanè perquam exigua adsunt adjumenta, è quibus ritus istos excerpere vel exsculpere etiam liceat. Optarem verò tam felici mihi esse contigisset, ut cum amicissimo meo *Jobo Ludolfo, S. M. R. Suedicæ illustri in Gallias Legato à Secretis meritissimo, Romam meare, atque adeò ab ipsis Æthiopicis Sacerdotibus ibi degentibus hujusmodi talia perdiscere potuissem.* cum primis postquam laudatus Amplissimus Vir salivam mihi excitavit litteris superiori mense April. Româ ad me datis. è quibus non possum, quin bonâ, ut confido, illius charissimi mei gratiâ pauca, his inseram, atque adeò desiderium meum cum *Φιλολογίῳ* dividam. ita verò ille: *Loquuntur omnes* (quatuor isti Sacerdotes Æthiopes, de quibus paullo ante scripserat) *nostram linguam,* (puram sc., quâ N. T. versio Æthiopica penes me ex biblioth. Ampl. Dn. *Gueintzii* residet.) *quam priscam vel sanctam appellare posses, aliâs vulgari inter se dialecto utuntur, à priscâ tamen non multum differente.* Paululum Æthiopicè, ut plurimum Hispanicè vel Italicè cum illis loquor. Libros aliquot habent MSS. ex quibus duos vidi, unum prægrandem in folio, qui Synodos omnes Æthiopicè continet, jussu Regis huc missum, ut imprimeretur, at noluerunt Romani. Quid tibi videtur, si emere vellem, an tu quoque partem contribuere velles? Alter in quarto precatationes continet. &c. Extat sanè *Rituale Syriacum D. Severi Alexandrini quondam Episcopi de Ritibus Baptismi & Sacrae Synaxis apud Syros Christianos receptis,* prout inscriptio ejus habet apud *Guidonem Fabricium Boderianum,* qui illud è MS. quodam, Codi-

Codice vetustissimo itidem MS. N. T. Syriaci subjuncto Latinitate donavit inq; lucem emisit Antverpiæ ex offic. Plantin. A. M. DLXXII. Sed quid de rituum illorum antiquitate habendum modo sit, vel inspicienti patet. Ut ut enim laudatus *Guido Fabricius* persuadere nobis conetur, minimè illas à Pontificibus Romanis adinventas esse, sed jam à multis retrò seculis inter Apostolicos viros in usu fuisse, fidem tamen hactenus hujus rei nondum fecit, demonstrando videl. Ritualis illius antiquitatem tantam, quæ ipsos Apostolos vel Apostolicos viros attingat. Ut hinc nullam etiam invehendi in Lutheranos (ad hos enim dubio procul respicit) habeat causam, quasi *homines male feriat omni verà antiquitate neglecta cuncta in pejus mutant, atq; adeò antiquos Catholicæ Religionis ritus & ceremonias ex nequitia & ambitione in dubium revocent.* Tantum igitur Rituali isti quoad rituum antiquitatem tribuimus, quantum Theologi nostrates Lctionum titulis, hinc inde per N. T. Syriacum edit. Vienn. ac Boder. conspicuis: de quorum quid habendum vetustate sit, vel leviter antiquitatis Ecclesiasticæ peritum fugere non potest. Atq; ut vel unico saltem exemplo ex Codice aliquo MS. sat antiquo, in Academiæ Altdorffinæ qui adservatur bibliothecâ, deprompto impresentiarum id evincamus, notatum volumus, quod paullo ante *Hieronimi* tempora *Monachorum* introductus ordo sit. jam verò in laudato codice cap. 14. Lucæ v. 25. hæc lctionis nota præmissa cernitur *ܠܘܥܐ ܘܢܘܢܐ* i. e. *annunciatione Monachorum*. Sic idem Cod. cap. 18. Lucæ *Antonii ac Sociorum* mentionem facit, quâ de re verò quid habendum sit, egregiè contra *Guid. Fabricium* ac *Bellarmin.* evicit insignis Theologus *Dn D. Waltherus* Off. Bibl. p. 299. Si deniq; quod Exerc. Syr. 2. q. 3. demonstratum ivimus, ipsi Codd. Syriaci MS. in lctionum numero ac ratione inter sese, tum ab Eccl. Rom. ritibus disident, ecquomodo Pontificii Orientaliû Ecclesiarum *quodammodo* in ritibus ex Lctionibus istis, Codd. Syris insertis, elicient? Quod v. de Lctionum titulis in N. T. Syri Codicibus nonnullis obviis diximus, novitatem illos redolere, nec ad Apostolorum vel Apostolicorum virorum tempora referri posse

posse aut debere, idem quoq; in N. T. Æthiopico de Lectio-
 num indiculis s. titulis, Caputum biblicorum frontispicio
 præmissis vel insertis etiam circa capitis medium (in editio-
 ne Rom. rubro colore isthæc talia à textu distincta sunt ad
 modum MSS. Syriacorum, ubi similiter Lectionum tituli
 colore rubro expressi cernuntur) judicandum, ceu commo-
 diori tempore ostendemus. Quantopere etiam in Sabbathis
 suis Æthiopes papizent, dum preces modò ad Angelos nescio
 quos, modò ad sanctam aliquam Christianam dirigunt, jam
 pridem perspeximus è libello quodam precationum Æthiop.
 MS. Certè ipsis etiam sanctis Sabbathis quædam consecrare,
 illosq; invocationis honore adficere Æthiopes, non obscure
 colligimus è memorato libello, ubi & hæc precationis ejus-
 jusdam inscriptio legitur: **ጌጊረጊ ስገረጊ**
ሰገረጊ ስገረጊ ስገረጊ ስገረጊ ስገረጊ &c. *Hymnus in*
Sabbatho Christiana sancta ac beata. Sed non licet progredi
 hic longius. Videantur itaq; de Æthiopum religione atque
 adeo Sabbathi etiam ceremoniis laudati à *Scaligero*,
Cornelio à Lapide alijsq; sed nunquam visi nobis nec hic impe-
 trabiles, *P. Cotignius* de Æthiopum Ecclesia ac *Franciscus Alva-*
rez Sacerdos Lusitanus, qui in intimam Æthiopiã, *Scaligeri*
 testimonio, penetravit, in luculento suo Itinerario. Nihil
 igitur è libris istis expectare à nobis lector novi potest, præ-
 ter summum videndi legendiq; illos desiderium, quod nobis
 unicè relictum, quomodo verò nos Christiani Sabbathum
 rectè celebrare debeamus, ex Theologorum scriptis prolixè
 accuratissimeq; ostendit illustre Noribergensium sidus Dn.
Dilherrus Præceptor meus æternùm colendus Tr. pecul. de Sab-
 batho. Faxit Sabbathi Dominus idemq; auctor, quò omnia
 quæ in alijs populis laudabilia occurrunt, quæ voluntati
 ipsius convenientia, eligamus sectemurq; quæ mala, fugia-
 mus ac aversemur, ut sancto cordis devotissimi cultu nomen
 ejus jugiter celebremus, atq; adeò ad verum tandem æternæ
 vitæ Sabbathum perveniamus, ubi erit novilunium ex
 novilunio, & Sabbathum ex
 Sabbatho.

שמו ברוך המיד אמן ואמן:






VO A 6412

ULB Halle

3

002 920 379




VO 77

1
Retro ✓







B.I.G.

Farbkarte #13

מידה וליהו

מג

de

TIS

ALIUM,

cum primis,
TIO PRIMA,

Leemia Leucorea
mandum proposita

STO GERHARDO

ll. Phil. Adj.

DENTE
KÖCHLERO,
denfi.

Auditorio
phorum

anuarii
atutinis

BERGÆ
NERI, Acad. Typogr.
Is Is c L.